

Angelus Johann Daniel Aepinus

**Rectore Acad. Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino
Friderico, Principe Meclenbvgico Hereditario ... Spiritvm S. Veritatis Verbi Divini
Testem, Sistit, Et Pentecostes Sacra Civibvs Academicis Pie Celebranda Indicit**

Rostochii: Typ. I. I. Adleri, [1750?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876734549>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

—
1750 Pfingsten

~~M-1256.~~ ³⁰⁷

Ms. 1750

RECTORE
ACAD. MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO,


DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE MECLEBURGICO HEREDITARIO,
VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE
SVERINI, TERRARVM ROSTOCHII ATQVE
STARGARDIÆ DOMINO,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

SPIRITVM S. VERITATIS VERBI DIVINI
TESTEM, SISTIT,

ET
PENTECOSTES SACRA
CIVIBVS ACADEMICIS
PIE CELEBRANDA INDICI

MODERNVS ACADEMIAE
PRO-RECTOR

ANGEL. IO. DAN. AEPINVS,
ORAT. PROF. DVGAL. PVBL. ORD.



ROSTOCHII,
TYP. I. I. ADLERI, SEREN. PRINC. AVL. ET ACAD. TYP.

M. 1256 307

* * * * *

Non heri est aut nudius tertius, ex quo mortalium animos anxios sollicitosque tenuit studium de divinae revelationis certitudine veritateque semet convincendi; verum vel antiquissima iam aetate illud eos incescit, qui salutis suae aeternae (vix enim temporalis tantum curarum operaeque mereri videtur,) aliquam rationem habuerunt. Testantur hoc tot vetera, quibus vel ab ipsis religionis nostrae primordiis defensio eidem vindicatioque scripta est, volumina, quibus siue argumentis pugnatur, siue obiectionum robur enervatur, vt prolixum illorum catalogum b. FABRICIVS, Polyhistor hamburgensis immortalis, scribere potuerit. Atque studium istud, sua non privandum laude, vel hodie plurimos occupatos tenet, qui productis novis dubiis, novas opponunt rationes, veritatemque christianae fidei stabilituri varia ratione variis pugnant armis. Nemo adeo litterarum existit hospes, quem, quae nostra potissimum aetate hunc in finem susceptae sunt operae, fugerent, quique ignoraret, eo tandem omnia haec tendere, vt veritas divinae illius revelationis firma stet, neque cuniculis adversariorum subruatur.

Meum iam non est, cuncta quae hoc negotium tractant argumenta colligere, atque de vi ipsorum iudicium ferre: Id tamen non fateri non possum, plura, si non omnia illa, quae ex rationis penu desumi solent, haud tanti esse, quanti ab autoribus, demonstrationum plerumque artificibus, haberi sueverunt. Non temere quidem damnare soleo, si qui rationis principiis nixi, ad coelestium doctrinarum penitiorum atque distinctiorum cognitionem viam monstrant, atque suave illud amoenumque rationis revelationisque commercium explicant atque declarant; verum neque probare unquam valeo, quando nimium hi sibi met ipsis tribuentes, rationem dum crepant, paralogismos struunt, atque sic falsis vera miscent, vt aegre somnia illa philosophica a veritate, etiam ab intelligentibus harum rerum discernantur.

Licet vero hic non discutiam, num ratio sola adeo firmis evidentibusque ad adstruendam revelationis veritatem, instructa sit locis, vt penitus de eadem animos hominum certos reddere valeat, tamen adfirmare non dubito, eorum mihi
semper

eandem imbuit. Nil sibi suisque tribuens perfectionibus, neque ex iis aliquid solatii capere valens, tamen summam in Numine commiserationis promptitudinem e longinquo deprehendens, impetu quasi quodam in eandem cognoscendam amplectendamque fertur, atque non omnino improbabilis ratione conicit, pro optima in genus humanum Summi Numinis voluntate non denegaturum ipsum vel detracturum media, quibus ad adeo salutarem cognitionem pertingere isti licet. Id equidem omnino novit, dari posse revelationem immediatam, eandemque rationis humanae defectus supplementem, (b) quam adeo sollicita cura ut quaerat, occulta quadam vi trahitur. Neque multum, qua via de ipsius certitudine convincatur, laborat, confidens, ab eo, qui immediata vi tanti momenti res revelavit, mentem, cui illuminando datum est, quicquid verbi divini paginae loquuntur, nullatenus destitutam, verum summa potius certitudine instructam iri. Non vana denique coniectura assequitur, ea, quae naturae vires hoc circa negotium superant, Numinis providentiam, sapientiam, potentiam, clementiam, esse supplementam, adeo ut neque notitia talium rerum, neque certa earundem, cognitione destituatur. Praeparato sic animo humano succurrit ipsa revelatio, de divina origine, vi, efficacia, operationeque, testimonium ferens, exceptione qualibet maius, dum rationi respondens claris edocet verbis, DEum ipsum veritatis quam revelatio docet, testimonium ferre. Prouti vero actus qui fidei saluificae donationem, ad quam praesentem locum omnino refero, augmentum vel conservationem spectant, tertiae praesertim personae divinae appropriativae, prouti Theologi loqui fuerunt, vindicantur, ita & ipsum illud de revelationis veritate testimonium eidem huic Spiritui in scripturis tribuitur. Non desunt evidentiis Scripturae commata, quae nostram sententiam confirmant, ad quae praecipue referimus Rom. VIII. 16. coll. 1. Ioh. V. 6. Adeo disertis hic Scriptura verbis loquitur, ut non sine temeritate rem ipsam in dubium vocare liceat.

Ad

(b) vid. *Perill. de WOLF, theol. natural. p. I, §. 449. III, D. A. RIES civit. Dei §. 38.*

Ad subiectum enim quod attinet, de Spiritu S. sermonem esse, antecedentium verborum vniuersus nexus clarissime euincit: Verum non ita clare, quod de testimonio pro veritate reuelationis diuinae oratio haec praecipiat, patet; aſſi rationi, rei ipſi conuenientibus ſtuduere, facile idem conficietur.

Quod enim nos filios DEI eſſe, teſtetur Spiritus S., qua quaero ratione fieri poteſt, niſi quod nos in ſpe ſalutis ex merito redemptoris capiendae confirmet? Per redemptionis namque opus gloriſiſſimum, atque quae pro peccatoribus praefiſtitit ſaluator, adoptionem illam myſticam abſolui, clariffime docemur *Gal. IV. 4. 5.* Qui itaque nos filios DEI eſſe teſtatur, eundem & ſatiſfeciffe pro nobis, reconciliaſſe nos DEO, atque aeternas peccatorum noſtrorum poenas a nobis auertiſſe generis humani ſaluatorem, teſtari oportet. Nil itaque eſt, quod nos impediatur, quo minus Spiritus S. teſtem adoptionis noſtrae, teſtem ſimul actus redemptionis pro nobis factae & quae cum eodem conneſtuntur, reputemus. Enim vero, dum de redemptione per optimum ſaluatorem facta teſtimonium fertur, dum huius rei veritas ſine dubitatione proponitur, ſtatim & verbi diuini nobis reuelati inconcuſſa veritas atque certitudo confirmatur, cum, vel ipſi rationi quodammodo conſtat, redemptionis opus in reuelatione doceri atque proponi debere. Neque, cui ita ſubducere rationes volupe fuerit, alterum a nobis allegatum locum Joanneum, ab hoc ſenſu abluere, deprehendet, quae ambo ſcripturae effata nobis nunc quidem ſufficiant, cum & ad 2 Cor. I. 21. 22. Ephes. I. 13. 14. IV. 30. prouocare poſſemus.

Postquam ſic, teſtimonium Spiritus S., de veritate reuelationis, ſcriptura docente, adſtruximus, iam noſtrum eſſet, ut, qua ratione idem in nobis exhibeatur, doceamus. Sed vero lubentes fatemur, non plane eundem a nobis perſpici, multo minus explicari poſſe. At aliqua tamen ratione poſſibile illud eſſe, agnoſcimus. Scilicet dum verbi diuini effata meditamur, atque mentem ad eandem attente aduertimus, non fieri non poteſt, quin ipſa, veritati, rationi non contrariae, eandem ſupplenti atque emendenti vtiliſſimas praeterea doctrinas perhibenti, aſſentiat, minimum ad aſſenſum ipſi praebendum

endum fortius permoueatur. Est haec insita illa verbo reuelato diuina vis, quae ita ad fidem reuelationi habendam animum impellit, vt aegre ab eadem retrahatur, difficulterque dimoueatur, intrinsecus atque constitutiuis verae reuelationis character. Neque tamen haec salutaris attentio sine Spiritus S. speciali concursu in nobis locum inuenire valebit, cum naturalis homo eiusmodi veritatum vix quidquam capiat, 1 Cor. II. 14. adiutus vero Spiritus S. opera vt omne bonum opus, sic & praesens feliciter perficiat 1 Cor. XII. 9. 11.

Non moramur hic obiectiones eorum, qui, quod distinctius testimonii huius in nobis ortum atque vim explicare haud valemus, uegare istud haud verentur. Quid namque regeri ad eas possit, optime iam expressit Ill. et S. reu. HANSCHIVS, diss. cit. (c) scribens: *multi agnoscunt se existere certissimos de veritate huius propositionis, qua totum parte sua maius, quodque sui conscium existit, nihilum esse non posse, pronunciat: vt vt exponere nequeant, unde ipsis sit haec certitudo. Similiter flammae ardenti digitum immittens, se uri certus est, vt vt huius certitudinis nullam reddere valeat rationem.*

Atque sic nescimus, qua ratione SOCINIANI, mentis naturali acumini alias adeo fauentes, eo abripi se patiantur, vt ad fidem verbo euangelii habendam, plane non necesse esse Spiritus S. operatione, tradant, qui tamen alias reuelationi se detrahare dissimulant. Diserte enim in *catechesi sua Racouensi*, Cap. VI. edit. 1612. p. 245. scribunt; *Man darf der innerlichen Gabe des heiligen Geistes nicht: und man findet auch in der H. Schrift keinen Ort davon, dass die Gabe jemand anders solte gegeben werden, ausserhalb denen, die dem Evangelio schon gegläubet.* Confunduntur hic, nisi nos omnia fallunt, dona Spiritus S. conuersionem hominis inchoantia cum perficientibus, cum haec in nullos nisi fideles, illa vero & eos, teste scriptura cadant, qui in fidei salutaris primordiis versantur.

Verum audire mihi videor, qui licet testimonium hoc Spiritus S. internum penitus negare non audeant, tamen in probanda reuelationis veritate frustra ad idem prouocari tenent. Non enim, inquit, ratio patet, qua discerni istud
a fal-

a falsa persuasione possit, ut adeo quis, si hoc solum respiciat, Spiritus S. operationem sibi tribuens, nubem, ut dici solet, pro Iunone amplectatur. Verum nescio sane quidem quid iidem hi regerere vellent, si ita omnem omnino verum a falso distinguendi facultatem negaremus. Notius est, tunc veritatem nos agnoscere atque a falsitate discernere, quando cuncta optime inter se cohaerere, nullumque alteri contrariari, deprehendimus, quam ut hic rationibus prolixis firmetur. Sed vero ipsa Scripturae S. lectio atque meditatio, accedente Spiritus diuini opera, manifesto docebit, rationis atque reuelationis arctissimum esse vinculum, nihil hanc illi opponere, nil quidem illi negare. Confirmat Scriptura, quicquid ratio, sana ea sobriaque, praecipit, declarat, quicquid illa subobscurè intuetur, complet, quicquid deficere sibi ad penitentiorem rerum cognitionem animaduertit. Ecquid vero magis ad veritatis agnitionem requisieris? Neque tamen, nisi adiumento nobis sit, Spiritus S. idem obtinebitur, in sacris mire coequentibus.

Sed probationis in orbem factae adhuc accusantur, cum quibus hic sentimus. Mallet, circuli eiusmodi indolem cum hac probatione conferrent, qui sic se nobis opponunt, Non eapropter reuelationem pro vera habendam esse, adstruximus, quod Scriptura, se veram esse, diserte pronunciet. Ipsa intrinseca conuenientia eorum, quae in reuelatione occurrunt, veritatis vnicum certum euidentisque documentum, a nobis vrgetur, quam ut perspiciamus, diuino nos Spiritus S. adiumento subleuari iudicamus. Quid vero iam est, quod vitiosi circuli nos damnaret? Veram agnoscimus Scripturam, quod Spiritus S. detegendo in illo veritatis characterem, nobis auxilio est, quo inuento denegare ipsi veritatem velle, quid foret a iustitia magis alienum?

Ast si deficiente Spiritus S. testimonio de scripturae veritate certo constare haud potest, quam misera erit eorum conditio, quibus suo auxilio idem haud succurrit, atque culpa vacabunt, qui destituti testimonio isto Scripturae certitudinem vel ignorant vel expressa negatione dubiam reddunt? Non omni specie, hoc quicquid est obiectionis caret, verum neque deest, quod reponi ad illud potest. Scilicet relinquimus hic aliquid Numinis prouidæ sapientiae, quam rimari vel perscrui-

perferutari nobis haud licere, si quid recte, contendimus. Erit forte aliquando, vbi ipsi consultum videbitur, & tibi, iam vel dubitanti de reuelationis veritate, vel eandem neganti succurret, ex voluntatis beneplacito omne bonum opus vt instituens ita perficiens. Haud tamen temere ab omni culpa te libera- bis. Potest gratiae diuinae resisti, quod sapientissime Numen permittit, ne libera mortalium mens sua exuatur facultate. Quid si opposueris te spiritui eiusque operationi, quid si ne- glexeris eundem fores cordis pulsantem, quid si vanitates seculi ab obsequio ipsi praestando te abripi patiaris? Adeone iusta tibi manet querela? Sed ita te ipsum noscis, vt numquam te tale quid admisisse, audaeter asserere valeas! Caue, ne ni- mium blandiendo tibimet ipsi Spiritum tentes, animae tuae saluti numquam non operose intentum.


Atque hoc ipsum est, *Ciues Academiae optimi*, quod prae- cipue nunc Vos volo. Bene sapienterque Ecclesia festos hos dies instituit, quos Spiritus S. gratiosis operibus meditandis praesertim impendamus. Nam vel ipsa illa meditatio pronio- res nos atque promptiores ad obsequium ipsi praestandum red- dere valebit. Nolo, quod Theologi prolixè de officiis fidelium erga Spiritum S. proponunt, vobis amplis verbis repetere, qui salutarem doctrinam ab infantia edocti estis. Si quid vero apud vos diuina valent monita, id nunc imprimis agite, vt magis magisque virtutem illam diuinam in vobis experiamini, vt certiores testimonii illius Spiritus S. interni euadatis, vt gratiosae inhabitationis illius magis reddamini participes. Immo vero precamini, vt Dominus nostri Iesu Christi, Pater glo- riae, det Vobis spiritum sapientiae et reuelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, ad sciendum vos, quae est spes voca- tionis eius, et quae diuitiae gloriae haereditatis eius in sanctis: et quae excellens magnitudo virtutis eius in nos cadentes, secundum operationem potentiae virtutis eius.

Ephes. I, 17. 18. 19.

P. P. sub sigillo Academiae.

Feria I. Pentecostes A. R. S. clxxxcl.





a falsa persuasione possit, vt adeo quis, si hoc solum respiciat Spiritus S. operationem sibi tribuens, nubem, vt dici solet pro Iunone amplectatur. Verum nescio fane quidem quid iidem hi regerere vellent, si ita omnem omnino verum a falso distinguendi facultatem negaremus. Notius est, tunc veritatem nos agnoscere atque a falsitate discernere, quando cunctis optime inter se cohaerere, nullumque alteri contrariari, deprehendimus, quam vt hic rationibus prolixis firmetur. Sed veritas ipsa Scripturae S. lectio atque meditatio, accedente Spiritu diuini opera, manifesto docebit, rationis atque reuelationi arctissimum esse vinculum, nihil hanc illi opponere, nil quidquam illi negare. Confirmat Scriptura, quicquid ratio, sanctae sobriaque, praecipit, declarat, quicquid illa subobscurum intuetur, complet, quicquid deficere sibi ad penitentiorem rerum cognitionem animaduertit. Ecquid vero magis ad veritatis agnitionem requisueris? Neque tamen, nisi adiumento nobis sit, Spiritus S. idem obtinebitur, in facris mire coequentibus

Sed probationis in orbem factae adhuc accusantur, cum quibus hic sentimus. Mallem, circuli eiusmodi indolem cum hac probatione conferrent, qui sic se nobis opponunt, Non eapropter reuelationem pro vera habendam esse, adstruximus quod Scriptura, se veram esse, diserte pronunciet. Ipsa intrinseca conuenientia eorum, quae in reuelatione occurrunt, veritatis vnicum certum evidensque documentum, a nobis vrgetur, quam vt perspiciamus, diuino nos Spiritus S. adiumento subleuari iudicamus. Quid vero iam est, quod vitiosi circuli nos damnaret? Veram agnoscimus Scripturam, quod Spiritus S. detegendo in illo veritatis characterem, nobis auxilio est quo inuenio denegare ipsi veritatem velle, quid foret a iustitia magis alienum?

At si deficiente Spiritus S. testimonio de scripturae veritate certo constare haud potest, quam misera erit eorum conditio, quibus suo auxilio idem haud succurrit, atque culpa vacabunt, qui destituti testimonio isto Scripturae certitudinem vel ignorant vel expressa negatione dubiam reddunt. Non omni specie, hoc quicquid est obiectionis caret, verum neque deest, quod reponi ad illud potest. Scilicet relinquimus hic aliquid Numinis prouidae sapientiae, quam rimari vel

perlucere

